



# ARISTOTELIS DE GE

NERATIONE ANIMALIVM LIBER PRIMVS,  
INTERPRETE THEODORO.

10

*Vniuersalis generationis partitio.*

Caput I



20

V M DE cæteris animalium partibus, tum summatim, tum singulatim seorsum de proprijs generis cuiusque dictum iam sit, quemadmodum, & qua de causa unumquodque esset, eam causam dico, cuius gratia quippiam sit. ponimus enim causarum genera quatuor numero: primum cuius gratia, ut finem, secundum, substantiæ rationem. quæ quasi unum quoddam ferè existimanda sunt. tertium uero, quartumque materiam, & id unde principium motus. sed cum de cæteris dictum iam sit: ratio enim, & id, cuius gratia, ut finis, idem est: materia

30

40

uero animalibus partes sunt totis dissimilares, dissimilaribus similes, iisque ea quæ elementa corporum appellantur: restat ut de partibus quæ ad generationem pertinent differamus, de quibus nihil adhuc definitum est. atque etiam de causa mouente quanam sit. sed de ea ipsa causa considerare idem quodammodo est, atque de generatione cuiusque agere. Quam ob rem nostra hæc disputatio in idem ea coniecit, cum & partes, quæ ad generationem accommodantur, ultimas disposuisset, & generationis principium ab ijs proximum collocasset. Animalium alia per coitum feminae & maris gignuntur, scilicet in quibus generibus sexus uterque est. non enim in omnibus, sed in præditis sanguine, paucis quibusdam exceptis, alterum mas, alterum femina perfectum euadit. exanguium uero quædam marem & feminam habent, ut sobolem eiusdem generis procreent. alia procreant quidem, sed non sui generis prolem, scilicet quæ non ex coitu animalium prodeunt, sed ex terra putri, aut excrementis. quod autem in uniuersum dixerim, eorum quæ locum mutare solent, aut nando, aut uolando, aut gradiendo, uidelicet prout quodque actum suo corpore est, nonnulla toto genere suo sexum utrumque obtinent, non modo sanguine prædita, uerum etiam exanguia quædam. nam eorum quoque alijs toto genere sexus uterque est, ut mollibus, ut crustatis: alijs maxima parte, ut generi insectorum. eorum autem ipsorum quæ ex coitu cognatorum animalium gignuntur, ipsa quoque sibi cognata progenerant. At uero quæ non ex coitu, sed putri materia oriuntur, ea generant quidem, sed genus diuersum quodque prodiit, nec mas est, neque femina. Talia sunt nonnulla in genere insectorum, quod iusta euenit ratione. nam si ex coitu eorum, quæ non ex animalibus orta sunt, animalia orirentur, hæc si eiusdem generis essent, primum quoque ortum parentum talem esse oportet. quod recte ita censemus, quando sic euenire in cæteris animalibus patet. sed si dissimilia quidem, sed quæ coire inter se possent, gignerentur, rursus ex ijs alia quædam natura procrearetur, & alia ex ea, idque in infinitum procederet. At natura infinitum uitare solet. infinitum enim fine caret. natura autem semper finem quaerit. Quæ autem non gressilia sunt, ut testatum animalium genus, & quæ saxi ad

hærentia uiuunt, quoniam natura simili plantis constât, hinc ut in illis, sic in ijs mas deest, & foemina: sed similitudine proportioneq; nomen sexus accipiunt. habent enim parum eiusmodi differētiæ. quodam etenim in stirpium genere, sunt eodem in genere arbores, quæ fructum ferant, & quæ ipsæ quidem non ferant, sed ferentes adiuuant illas ad maturandum, ut inter ficum & caprificum euenit. generationis etiam ratio eadem in stirpibus quoque est, cum aliæ semine prodeant, aliæ sponte naturæ, oriuntur enim à putrescente uel humo, uel parte aliqua plantæ. Sunt enim quæ ipsa per se nunquam seorsum consistant, sed in alijs arboribus dico, soleant generari, ut uiscum, sed de stirpibus siue plantis seorsum opere per seipsis dicato agendum est.

10

*Principium generationis esse mare, & foeminam.*

Caput II



**N**unc de animalium generatione differendū est, prout cuiq; ratio competit, deducenda ex ijs, quæ dicta iam sunt. Generationis enim principia, ut retulimus, illa potissimum quis statuerit, marem & foeminam, marem, ut quod motus & generationis originem teneat: foeminam, ut quod materiæ, quam rem ita esse potissimum credes, si quemadmodum, undeq; semen genitale fiat, intellexeris. Ex hoc enim quæ natura oriuntur, consistunt, id autem quemadmodū ex mare ac foemina prodeat, nequaquam latere oportet. quod enim ea pars de foemina mareq; secernitur, & in ijs atq; ex ijs hæc secretio fit, ideo 20 mas & foemina principium conferunt generationis. Marem nanque id animal dicimus, quod in alio gignit, foeminā, quod in seipso. quam ob rem in uniuerso quoque naturam terræ, quasi foeminam matremq; statuunt, cælum autem & solem & reliqua generis eiusdem, nomine genitoris patrisq; appellant. Mas autem & foemina inter se differunt ratione, quod facultas utriusq; diuersa est. sensu autem partibus corporis quibusdam discrepant. rationis discrimen ita exultat, ut mas sit quod in altero generare potest, ut dictum est, foemina quod in seipso, & ex quo fit quod generatur, contentum in eo quod generat. Sed quū facultate & munere quodam hæc distinguantur, ad omnem autem officij functionem instrumento opus sit, instrumentaq; facultatibus partes corporis accommodentur, ad procreationem quoque 30 & coitum partes aliquas esse accommodatas necesse est, easq; inter se diuersas, quibus mas à foemina differat. nam etsi de toto animali mas aut foemina dicitur, tamen non quauis sui parte potētiq; idem mas, aut foemina est, sed certa quadam uirtute siue potentia, & parte. sicut & uim cernendi gradiendiq; obtinet, ut sensu patet. partes uero eiusmodi sunt foeminæ, uteri, & uulua: maris testes, & coles, in omnibus sanguine præditis. eorū enim alijs testes, alijs meatus eiusmodi quidam sunt. in genere etiā exanguis discrimen maris & foeminæ est, quibus hæc sexus contrarietas data est. differunt forma inter se partes ad coitum delegatæ in sanguineo genere. sed intelligendū sic est, ut principio uel exiguo immutato, multa ex ijs quæ à principio sunt, immutari soleant. patet hoc in exectis, quibus parte genitali tantū 40 corrupta, tota ferè forma usque eò commutatur, ut aut foemina esse uideantur, aut parum absint, tanquam non qualibet sui corporis parte, aut potentia, animal sit foemina aut mas. constat igitur principium quoddam esse marem ac foeminam. itaque merito fit, ut multa commutentur, cum animal, qua foemina aut mas est, immutatur, quasi principium dimoueat.

Genitalia

Genitalia membra non eadem omnibus esse animalibus.

Caput III



Estes, & uteri, aut uuluae, non par ratione in omnibus sanguine praeditis animalibus sunt. iam enim ut primum de testibus dicam, alia omnino testibus carent in eo genere, ut pisces, ut serpentes: meatusque tantum geminos semini genitali praescriptos obtinent. alia habent quidem testes, sed intus lumbis adherentes, quia renes continentur: meatusque ab eorum utroque foras tendunt, ut in ijs quae testibus carent, qui in idem coniungantur, quomodo in illis constitutum est. ita aues omnes habent & quadrupedes, quae oua pariunt, inter eas quae aerem accipiunt, pulmonemque obtinent. his enim omnibus testes lumbis intus adherent, meatusque gemini ab his similiter atque serpentibus tendunt, ut lacerto, testudini, atque omnibus cortice intectis. Quae autem animal gignunt, omnia testes in aduerso habent. sed nonnulla intus ultima conditos aluo, ut delphinus. nec meatus, sed penem pertendentem habet, ut boues. alia foris gerunt, quorum alia pendentes, ut homines: alia annexos ad sedem sessiles, ut sues. sed de his diligentius distinctum est in libris, quos de historia animalium scripsimus. Vteri omnium bipartiti sunt, ut testes gemini omnibus maribus habentur. sed alijs iuxta genitale, ut mulieribus, & omnibus quae animal non solum foras, sed etiam intra se generant, & piscibus qui oua aedunt: alijs iuxta septum transversum siue cinctum, ut auibus omnibus, & piscibus qui animal pariunt. Crustatis etiam uuluae bifidae sunt, atque etiam mollibus, quae enim oua eorum uocantur pro uulua habent membranas, quibus continentur. Sed hoc maxime indiscretum est in polypis, ut simplex esse uideatur. cuius rei causa est forma corporis, quae similis undique est. insectis etiam quibus aliquid magnitudinis, bifidae sunt, minoribus incertae propter corporis exiguitatem. partes quas explicandas proposui, ita se habent.

*Quam ob causam natura testiculos animalibus indidit, quae item animalia citius, & quae tardius coeant: & quod taurus cum statim a castratione iniisset, impleuerit.*

Caput IIII



E differentia instrumentorum genitalium quae in maribus sunt, qui, quas ob causas sint, consideret, accipiat primum necesse est, cuiusnam rei gratia testium constitutio habeatur. ergo si natura rem quamcunque facit, aut quia necessaria est, aut quia melius ita est, hoc etiam membrum ob eorum alterutrum esse debet, sed non necessarium id esse ad generationem patet. omnibus enim quae generant adiunctum esset, si necessitatis ratio haberetur. nunc uero nec serpentibus testes sunt, neque piscibus. uisi sunt enim coire, plenosque seminis genitalis habere suos meatus. restat igitur ut melioris cuiuspiam notae gratia testes habeantur. Sed enim maximae animalium parti munus nullum ferè aliud est, nisi quod plantarum semen & fructus. utque in ratione cibi uoraciora auidioraque sunt, quibus intestinum rectum, sic ea quae testibus carent, meatusque tantum habent, aut non carent, sed intus habent, omnia propensiora celerioraque ad uenerem sunt. At uero quae castiora esse conuenit, ijs ut in cibi usu intestino opus est non recto, sic meatus illi reuolutionem anfractusque habent, ne libido uehemens, crebraque citetur. testes autem ad hanc rem emolita natura est. motum enim excrementi genitalis stabiliorem faciunt in uiuiparis, ut equis, caeterisque eiusmodi, atque etiam hominibus, cum replicationem seruent. Sed quemadmodum se habeant, petendum ex animalium historijs est. nullam enim partem meatuum testes complent, sed adiecti pendent, eo modo quo pondera textrices telis annectunt. his enim detractis meatus intro se retrahunt. quo fit, ne exacta possint generare. nam nisi ita retraherentur, possent generare. & iam taurus quidam, cum statim a castratione iniisset,

impleuit. quoniã nondum retracti essent meatus. Auium uero & quadrupedum ouiparorum testes excrementũ recipiunt genitale. itaque tardius ijs, quã piscibus semen prodit. patet hoc in auium genere, cum tempore coitus testes multo habeãt grandiores, quã certo tempore coeant. At ubi id tempus præterierit, adeo exiguos habent, ut incertum fere an habeant sit. cum tamen eo tempore quo coeunt, gerant prægrandes. celerius itaque ea coeunt, quã testes intra se continet. quã enim extrã habent, non prius semen emittunt, quã retrahant testes.

*Quæ animalia membrum ad coitum accommodatum obtineant, & quæ non.*

Caput V



**I**nstrumentum etiam accommodatum ad coitum quadrupedes obtinent. habere enim id possunt. Aues, & quæ pedibus uacant, habere nequeunt. quoniam alteris crura sub media aluo posita sunt, alteris nulla sunt crura. natura autem penis hinc pendet, & situm hunc tenet. & quidem ob eam rem euenit, ut in coeundo crura contendantur. nam & instrumentum hoc neruo constat, & crurum natura neruosa est. itaque cum habere id nequeant, testes quoque aut non habere, aut non eo loco habere necesse est. Idem enim situs penis & testiũ est in ijs, quæ habent utrunq; quinetiam ea quorum testes sunt extrã, cum penis per motũ calefcit, semen genitale proinde collectum emittunt. non parato iam semine contrectant, ut pisces. Omnibus quæ animal generant, testes antè habentur, uel intus, uel extrã, præterquam herinaceo. hic enim unus lumbis adhærentes continet: ob eandem, qua aues causam. coitum enim herinaceorum celeriter fieri necesse est, cum non more quadrupedũ superueniant tergis, sed erecti coniungantur propter aculeos. causa quam ob rem testas habent quæ membrum hoc obtinent, & cur alia intus, alia extrã, declaratũ iam est.

*Quam ob causam nonnulla animalia membro genitali careant.*

Caput VI



**Q**uæ autem carent eo membro, nõ quia melius sit carere, ideo carent: sed tantum quia necessarium, ut dictum est. quoniam celeriter peragatur eorum coitus necesse est. qualis natura piscium & serpentum est. pisces enim incurrentes attingunt, absoluunturq; ocyssime. nam ut in hominum, & eiusmodi omnium genere semen genitale spiritu retento emitti necesse est, sic in piscibus, mari non in branchijs accepto emittitur. facile autem pereunt, nisi id assidue faciant. itaque nõ ijs semen tantisper concoquendum est, cum coeunt, ut pedestribus & uiuiparis, sed tempestatis tempore iam concoctum continent uniuersum, ita, ut ne dum contingunt, conficiant, sed concoctum paratumq; emittãt. quam ob rem testibus carẽt, meatusq; simplices rectosq; habent. qualis particula quædam circa testes quadrupedum est. replicationis enim meatus pars altera sanguinea est, qua recipitur materia seminis: altera exanguis, qua factum iam semen transit. itaque cum genitura eò deuenit, celeriter ea quoque absoluuntur. At piscibus talis totus meatus est, qualis in homine. cæterisq; eiusmodi animalibus pars replicationis altera est. Serpentes complexu mutuo coeunt. carent testibus & pene, ut dictum iam est. pene, quia cruribus carent. testibus, propter sui corporis longitudinem. meatus modo piscium habent. quod enim eorum natura porrecta in longũ est, si præterea in testes protraherentur, refrigeraretur genitura propter moram longioris itineris. quod ijs quoq; accidit, quibus penis immo dicus est. sunt enim infœcundiores ijs quibus mediocris, propterea quod semen frigidum infœcundum est. refrigeratur autẽ quod longe admodũ fertur. sed quam ob causam animalium alia habent testes, alia non habent, declaratũ iam est.

Quomodo



Oeunt serpentes complexu mutuo, propter ineptam sui corporis formam ad applicandum. cum enim exigua quadam sui parte coniungantur, nequeunt praenimia prolixitate adaptari. cumque membris quibus amplectantur careant, pro ijs agilitate corporis utuntur, complexuque mutuo sese obuoluentes expediunt uenerem. unde fit, ut lentius absolui quam pisces uideantur, non solum meatuum prolixitate, sed etiam ea ipsa, qua utuntur solertia.

De situ uterorum aut uuluarum in quibusque animantibus.

Caput VIII



De uteris aut uuluis quemadmodum se habeant, ambiges. magna est enim eius partis diuersitas. nam neque uiuipara omnia habent simili situ. sed cum homines, omneque genus terrestre infra ad genitale habeant, cartilaginea supra continent iuxta septum. neque ouipara sibi conueniunt, sed pisces infra ut homines, & quadrupedes uiuiparae habent. aues & quadrupedes ouiparae supra. attamen ipsi quoque situs contrarij non sunt a ratione remoti. iam enim quae oua pariunt, diuerse pariunt. etenim alia imperfecta emittunt oua, ut pisces. fors enim piscium oua perficiuntur & augentur. cuius rei causa est, quod magna foecunditas est. idque munus eorum, ut stirpium est, quod si intra se foetum perficerent, pauciora necessario aderent. nunc uero & tot continet, ut uulua unum esse ouum in paruis quidem pisciculis uideatur. Sunt enim hi foecundissimi, ut in caeteris quoque tum plantis, tum animalibus euenit, quorum natura his proportionetur. in ijs enim magnitudinis incrementum uertitur in seminis copiam. Aues & quadrupedes ouiparae oua adunt perfecta. quae ut seruari possint, duro iam constant putamine oportet. sunt enim quandiu crescunt molliora. testa autem efficitur calore externo euaporante humorem. itaque calidum esse locum, in quo id fiat, necesse est. talis autem locus septi transuersi est, quippe qui cibum concoquendo perficiat. Quod si oua contineri in uulua necesse est, uulua eorum quae oua adunt perfecta, sitam esse ad septum necesse est. eorum autem quae imperfecta, infra. ita enim in promptu erit. & sua uero natura uulua propensior ad situm inferiorum, quam ad superiorum est, nisi quid aliud opus naturae impedit. infra est enim exitus eius officium.

De generatione uiuiparorum, & eius inter eos differentia.

Caput IX



uiuipara etiam inter se differunt. alia enim non modo foras, uerumetiam intra se animal generant, ut homines, ut equi, ut canes, denique omnia quae pilis teguntur, & inter aquatilia delphini, balenae, & reliqua cetarij generis.

De generatione cartilagineorum, & uiperarum.

Caput X



Cartilaginea uero, & uiperarum, cum intra se oua generant, mox animal foras pariunt, perfectum generant ouum. ita enim ex ouo animal gignitur, ex imperfecto nullum. non extra, haec pariunt oua, quia natura frigida sunt, non quia calida, ut quidam uolunt.

De generatione mollium animantium.

Caput XI



Ute molli intacta generant oua. quod enim caloris exigui sunt, ultimum siccare natura eorum non potest. Quia igitur frigida sunt, molle generant: quia molle, non extra. periret enim propter suam mollitiem. Cum autem ex ouo animal gignitur, eodem quo in auibus modo parte plurima generatur. descendunt oua in imum, efficiunturque animalia infra ad genitale. quomodo in ijs fit, quae iam inde a primo ortu animal generant.

quam ob rem uulua quoque eorum dissimilis tum uiuiparis, tum ouiparis est, quoniam utriusque consortium generis habent. nam & supra ad septum, & infra porrecta genus omne cartilagineum habet. sed tam de ea, quam de ceteris uulue aut uteri generibus, quemadmodum se habeant, per historias, dissectionesque animalium indagandum percipiendumque est. itaque hoc genus & supra continet uuluam, quia ouiparum perfectorum ouorum est: & infra, quia uiuiparum est, atque particeps utriusque euadit. At uero ea quae protinus animal generant, omnia infra habent. nullo enim naturae opere impediuntur, nec partum geminant. Ad haec, fieri non potest ut animalia iuxta septum gignantur. foetum enim pondus & motum habere necesse est. is autem locus cum uitalis sit, haec pati non potest. difficultatem etiam pariendi ita accidere necesse est propter delationem longiorem. nam & nunc mulieres, si in partu uel oscitando, uel aliqua eiusmodi causa retrahunt, difficilius pariunt. Inanes etiam uteri, aut uuluae sursum ad iunctam strangulant. necnon ualidiores esse eas quae animal contineant, necesse est, quam ob rem omnes eae carnosae sunt. Quae autem ad septum iunguntur, membrana constant. tum etiam in istis ipsis animalibus quae geminant partum, planum hoc idem fit, oua enim supra, atque ad latus continent. animalia uero parte infera uuluae gerunt. sed quam ob causam situ contrario uuluas nonnulla animalia habent, & omnino quam ob rem alijs infra, alijs supra ad septum continetur, dictum iam est.

*Quam ob causam uteros intus animalia habeant, testes uero alia intus, alia extra. Cap. XII*



**Q**uam ob rem uteros aut uuluas omnia intus habeant, testes alia extra, alia intus, causa est, quod cum utero continetur quod gignitur, idque custodiam operimentum & concoctionem desideret, hinc uteri aut uuluae omnium intus sunt. locus enim exterior corporis & frigidus est, & offensionem expositus. Testes alijs intus, alijs extra, propterea quod istis quoque operimento & uelamine opus est, tum ut seruentur, tum ut semen genitale perficere possint. haud enim fieri potest ut frigentes & gelidi possint retrahi, atque emittere genitura. quam ob rem quibus testes in propatulo sunt, habent operimentum cuteum, quod scortum uocatur. Sed quibus natura cutis praesua duritia obstat, ne mollis, cutea, & ad complectendum habilis sit, ut istis quae aut piscea cute, aut cortice teguntur, istis intus habeantur, necesse est. quapropter delphini, & quaecumque cetarij generis habent testes, intus continentur: atque etiam ouiparae quadrupedes corticati generis. cutis etiam auium dura est, ut magnitudini debitae inhabilis sit ad comprehendendum. causam his omnibus designari necesse est, unam cum istis, quas antea diximus, ex istis quae per initum & rem uenere accidunt. haec eadem causa est, & ut elephanti ac herinacei testes habeant intus. cutis enim istis quoque inepta ad habendam partuculam quae operiat. Situs etiam uterorum contrarius in istis quae animal intra se generant, ad ea quae oua aedunt. atque etiam eius ouipari generis in istis quae uterum infra habent, ad ea quae supra ad septum. uerbi gratia, piscibus ad aues, quadrupedesque ouiparas, atque etiam istis, quae modo utroque generant, ut oua intra se pariant, animal aedant in lucem. quae enim intra se & foris animal generant, uterum habent in aluo, ut homo, bos, canis, & reliqua generis eiusdem. nam ad foetus tum salutem, tum incrementum, expedit nihil ponderis insidere uteris.

*Meatus excrementi siccis & humidis, in omnibus animalibus esse diuersos. Cap. XIII*



**M**eatus etiam diuersus istis omnibus est, quo excrementum siccum, & quo humidum exit. quam ob rem omnia id genus, tam foeminae, quam maiores genitale habent, quo excrementum siccum, & quo humidum secerantur, quoque maribus genitura, foeminis partus emittatur. parte prioris superioreque meatus is continetur. Quae autem pariunt quidem oua, sed

sed imperfecta, ut pisces ouipari, ijs non sub aluo, sed lumbis adhærens uulua continetur, nec enim incrementū ouī impedimento est: quoniam inchoatum prodiens ouum foris perficitur. & meatus idem excrementarius alimenti sicci, & intus est omnibus quæ genitali carent. ouiparis etiam ijs quæ habēt uesicam, ut testudinibus. Generationis enim causa non excrementi emittendi duplex meatus est: sed quia feminis natura humida est, ideo meatus idem cōmunis cum excremento humidi alimenti habetur. constat hoc ita esse eo, quod cum genitale semen omnia animalia ferant, excrementū tamen humidum illud non omnia reddunt: sed cum & maris seminales meatus, & fœminæ uterum firmari nec oberrare oporteat, idēq; aut in parte priorē corporis, aut in posteriore ad prona effici necesse sit, idcirco uiuiparis propter fœtum uterus in parte priorē positus est, ouiparis ad lumbos & prona. Quæ autem animalia edunt in lucem, cum intra se oua generarint, ijs situs uterq; quoniam utrunq; referunt genus: & eadem tum uiuipara, tum ouipara sunt. partem enim uuluae superiorē in qua oua gignuntur, sub septo ad lumbos & prona habent: inferiorē ad aluum. hac enim iam procreant animal. Meatus idem ijs quoq; sicci alimenti, & coitus est. nulli enim ex ijs genitale pendet, ut antea dictum est. meatus etiam genitales marium, tum eorum quorum proprii sunt, tum uero eorum qui testes habēt, simili modo atq; uuluae ouiparorū habentur. omnibus enim ad prona & spinæ locum adhærent. non enim uagari, sed stabiles esse oportet, talis autē locus posterior est. is enim est qui continentiam præbeat & stabilitatē. Quibus itaq; testes intus continentur, ijs protinus cum meatibus firmantur. nec secus ijs est, quibus extra tum eodem deueniūt, scilicet in locum genitalis, cōmuniq; excipiuntur meatu. similis & delphino meatuum modus est, sed testes sub aluo occulti. sed quemnam situm partes ad generationem accommodatæ, & quas ob causas tenuerint in his generibus, dictum iam est.

*Crustacea, mollia, testacea, & insecta animalia, tum inter se, tum cum sanguineis in generatione differre.*

Caput XIII

**A**eteris quæ sanguine uacant animalibus, non idem membrorū ad generationem pertinentiū modus: sed tum inter seipsa, tum etiam cum sanguineis dissident. Sunt hæc reliqua genera quatuor numero. unū crustatum, secundum molle, tertium insectum, quartum testatū. An quarti generis ulla coeant, incertū est. plurima tamen non coire apertum est. quemadmodum consistant, postea dicemus. crustata coeunt modo eorum quæ in auersum mingunt. cum alterū supinum, alterū pronū applicauerint caudas. etenim ne parte supina superueniāt, pronam impediunt caudæ præ suarū pinnarū proluxa appendice. habent in hoc genere mares tenues genitales meatus, fœminæ uuluas membraneas ad intestinū fissas, hinc atq; inde, in quibus gignitur ouum.

*De coitu & generatione mollium animalium.*

Caput XV

**M**ollia ore coeunt, renixu complexuq; mutuo brachiorū. sic enim coniungi necesse est, quoniam natura exitum excrementi in os inflectendo adduxerit, ut ante dictum est, cum de partibus ageremus. habere fœminas omnes in hoc genere membrū uuluale apertum est. Continēt enim ouum primo indiscretū, mox discretū in plura, & pariūt omnia imperfecta modo ouiparorū piscium. meatus ille interior idem excrementi & uuluae est, tum in ijs, tum etiam in crustatis. est enim quæ semen genitale per meatū emittant, idēq; parte corporis supina, qua putamen distat, & mare illabitur, faciūt. quam ob rem ea parte mas cum fœmina copulatur. nam si mas, siue semen, siue membrū, aut aliquā uirtutē, siue uim aliam mittat, admoueri ad meatū uuluale necesse est.

V 2

crinis uero insertio maris polypi per fistulam, qua piscatores crine coire polypos adiunt, complexus gratia fit, non quasi instrumentum id sit utile ad generationem. etenim extra meatum corpusque est. interdum tergis quoque mollia copulantur: sed generationis ne gratia, an alia causa, nondum exploratum habetur.

De coitu & generatione insectorum.

Caput XVI



Insectorum aliqua coeunt, atque ex animalibus eiusdem generis oriuntur modo eorum quibus est sanguis, ut locustae, cicadae, phalangia, uespa, formicae. aliqua coeunt quidem & generant, sed non sui generis animal, sed uermiculos tantum. neque ex animalibus procreantur, sed ex putrescente humido aut sicco, ut pulices, muscae, scarabaei. quaedam nec ex animalibus nascuntur, neque coeunt, ut culices, & uermiculi, & plura eiusmodi genera. inter ea uero quae coeunt, foeminae maxima ex parte maiores maribus sunt: nec meatus ulli seminales in maribus esse uidentur. nullum, parte plurima dixerim, membrum foeminae a mare inseritur, sed mari a foemina sursum de parte inferiore. quod conspectum in pluribus est. nec de superuictu ambigitur: sed contra, ut mas foeminae inserat, uisum in paucis est. neque adhuc ita exploratum habetur, ut genere possimus distinguere. Hoc idem ferè in piscibus quoque ouiparis maxima ex parte, & in quadrupedibus ouiparis est, ut foeminae maiores sint maribus, quoniam id commodum est ad uterum magna ouorum copia extumescentem. foeminis in eo genere membrum, quod pro uulua habetur, fissum iuxta intestinum, ut ceteris, positum est, in quo foetus generatur. patet hoc in locustis, & reliquis, quorum magnitudo aliqua sit, & natura coitum recipiat. maxima enim pars generis insecti perexigua est. instrumenta generationi accommodata, de quibus non antea disseruimus, ita se habent. Similariū partium semen genitale, & lac reliquimus: de quibus nunc opportune dicemus. & primum de semine, post in sequentibus de lacte.

Quae animalia semen emittant, quae non: & quorundam opinio, qui semen ex unaquaque corporis parte prouenire affirmant.

Caput XVII



Semen alia aperte emittunt, ut ea quae sunt natura sanguinea, alia, id est insecta & mollia, emittant nec ne, incertum est. itaque considerandum hoc est, utrum mares omnes semen emittant, an non omnes. & si non omnes, cur alij emittant, alij non. Tum etiam utrum foeminae semen aliquod conferant ad procreationem, an non. & si non semen, utrum nec aliud quicquam adhibeant. an quamuis non semen, tamen aliquid conferant. Ad haec, quidnam conducant ea quae semen emittunt suo semine ad generationem, quaerendum est. atque omnino quae natura sit seminis, & eorum quae menstrua uocantur: scilicet in ijs animalibus, quae id humoris genus emittunt. Omnia ex semine gigni, semen autem ipsum proficisci a generantibus uidetur. Quam ob rem eiusdem studij est quaestio, utrum ambo, mas & foemina emittant: an alter tantum. & utrum ex toto corpore secernit, an non ex toto. nam si non ex toto, nec ex ambobus quidem parentibus prodire probabile est. quapropter primum de hoc, quemadmodum se habeat inquirendum est. Sunt enim qui dicant id ex toto corpore prouenire. Quibus autem argumentis probent, ut semen ex unaquaque corporis parte secernatur, quatuor ferè numero sunt. Primum uehementia uoluptatis. magis enim suaue est, quod idem amplioris sit affectus. amplius autem est, quod omnibus membris, quam quod paucis accidat. Secundum quod ex mancis manca procreantur. semen enim ab ea, quae deest parte, proficisci negant. unde autem non accesserit, id ne procreetur, accidit. Tertium similitudo parentum. similes enim gignuntur, ut toto corpore toti, sic particulatim singulis partibus. quod si causa est, ut totum simile sit, quod ex tali toto



toto semen genitale prodierit, partibus quoque causa similitudinis erit, quod ex unaqueque parte aliquid uenerit. Quartum, quod ratio esse uidetur, ut quemadmodum totius aliquid est, ex quo primum generetur: sic partis quoque, cuiusque sit, semen aliquid proprium. fidē etiam illa faciunt huic opinioni uerisimilem. non solum enim rebus naturæ insitis, & natiuis, liberi similes parentibus prodeunt, sed etiam aduentitias atque externas præsentant. iam enim cum parentes cicatrices haberēt, filij quidam parte eadem sui corporis idem habuerunt. & Chalcedone, cum pater brachio esset puncto, filius idem retulit: confusa tamen nota, minusque explanata, his ferè rationibus quidam potissimum crediderunt, semen à toto corpore proficisci.

10

*Improbatio in eos, qui dicunt semen ex omnibus corporis partibus prouenire, semenque esse excrementum.* Caput XVIII



Ed cum scrutamur, & diligentius rem discutimus, contra potius esse uidetur. nec supradicta quatuor illa soluere difficile est. & quaedam alia sequuntur impossibilia ex ea ipsa opinione. Primum igitur, similitudo nullum indicium affert, ut semē genitale ex toto corpore secedat, quandoquidem & uoce, & unguibus, & pilis, & motu similes procreantur, ex quibus nihil proueniat. nonnulla etiam nondum habent cum generant, ut canos, aut barbam, maioribus item suis plerumque similes sunt, ex quibus nihil secessit. redditur enim post plura genera similitudo: ut in Helide, quæ cum Aethiope concubuerat, non filiam forma Aethiopis peperit, sed natus ex filia erat Aethiops. In stirpibus etiam eadē ratio est, nam si hoc ita esset, in ijs quoque ab omnibus partibus semen proculdubio proficisceretur. at pleraque partes, aut illæ non habent, aut quisque abscindere potest, aut postgenitas habent. quinetiam ex fructibus nihil secedit: & tamen ij quoque forma eadem proueniunt. ad hæc, utrum ex unaquaque simili parte tantum prodit, uerbi gratia, carne, osse, neruo, an etiam ex dissimilaribus, ut facie, & manu. nam si ex illis tantum, similes autem parentibus sunt, partium potius dissimilium forma, ut faciei, manuum, pedum, quidnam obstat, ne illæ quoque similes sint secessu ex toto? Sed alia causa, quando nec in ipsis quidem similitudo propterea sit, quia ex toto corpore semen genitale secesserit. Sed si ex dissimilaribus tantum, ergo non ex toto & partibus omnibus. at ex similaribus magis conueniat. sunt enim priores, & dissimilares ex similaribus constant. & ut facie ac manibus similes procreantur, sic & carne & unguibus. At uero si ex utrisque, quisnam modus sit generationis? constant enim partes dissimilares ex similaribus, itaque quod ex ijs secedit, ex illis quoque secesserit, atque ex ipsa compositione, perinde quasi à nomine scripto quippiam proficiscatur, si à toto, uel à quauis syllaba proficiscitur. quod si à syllabis, ab elementis compositioneque prodierit. itaque si ex igne, & reliquis eiusmodi, carnes ossa uel constant, ex elementis potius fuerint. nam ex compositione quonam pacto possint? Atqui sine ea simile esse nihil poterit. quod si quid eam postea creat, id causa similitudinis fuerit, non secessio ex toto. Item si partes distractæ in semine sint, quonam pacto uiuat? sed si coniunctæ, paruum quoddam animal fuerit. genitales etiam partes quonam pacto consistant? non enim simile est quod à mare, & foemina secedit. Item si utriusque semen æque ex toto uenit, duo animalia generabuntur. utrunque enim omnia habebit. quamobrem Empedocles maxime (si ita dicendum est) consentanea huic rationi scripsisse uidetur hoc quidem loco. nam si alibi diuersa, non bene. dicit enim maris ac foeminae quasi symbolū esse. totū uero à neutro proficisci. sed discerpta gerunt mas ipse & foemina membra. cur enim foemina non ex seipsa generet, siquidē semē ex toto secedit, & conceptaculum obtinet? Sed ut uidetur, aut non ex toto secedit, aut ita, ut ille ait, nō ex

utroque eadem secedunt, quapropter alterum alterius coitum desiderat, sed impossibile illud quoque occurrit, nec enim maiora possunt distracta seruari, animataque esse, quomodo Empedocles generat amore, cum dicit: Multaque ponuntur capita absque sua ceruice, mox enim coalescere coagmentarique ait, quod fieri non posse apertum est, quando nec anima uitaque omni uacua seruari possent, neque ueluti plura animalia coalescere in unum. & ipsi qui ex toto secedere aiunt, accidit, ut eodem modo quo ille, dicant, nam ut tum amore in terra, sic ipsi in corpore agitur, non enim fieri potest, ut partes coniungantur, commeandoque eodem deueniant. Tum etiam quonam pacto dirimantur superiora, inferiora, dextra, sinistra, priora, posteriora: hæc enim omnia carent ratione, item cum partium aliarum facultate, aliarum affectibus distinguantur, uidelicet dissimilares, eo quod efficere aliquid possint, ut lingua, ut manus: similes duritia, mollitia, & reliquis eiusmodi affectionibus (non enim utcumque se habet, sanguis est aut caro) constat ob eam rem fieri non posse, ut quod secesserit, uniuocum sit cum partibus corporis, uerbi gratia, ut sanguis à sanguine, caro à carne proueniat. At si ex diuerso quodam sanguis fiat, non ea causa similitudinis fuerit, quod ex omnibus partibus decesserit: ut aiunt, qui ita opinantur. Satis est enim ex una tantum secedere, quandoquidem non sanguis ex sanguine gignitur, cur enim non omnia uel ex uno gignantur: hæc enim sententia eadem esse uidetur, atque illa Anaxagoræ, ut nullum simile gignatur: nisi quod ille commune id de omnibus asserit, hi uero generationi tantum animalium tribuunt. Ad hæc, quonam pacto ista augeantur, cum ex toto secesserint: Anaxagoras enim probe ait, carnes ex alimento carni accedere, sed ipsi qui eadem non dicunt, & tamen secedere ex toto pronunciant, quonam pacto alio accedente maius quicquam efficietur, si quod accesserit, maneat: At si mutari quod accesserit potest, cur non iam inde ab initio semen sit tale, ut gigni ex eo possit sanguis & caro, non ipsum sit sanguis & caro: nec uero dici potest temperatione post augeri, perinde ut uinum aqua adiecta, ita enim principio maxime syncerum meracumque esset unumquodque, nunc uero & caro, & os, & quæuis alia pars, quod dicitur, id postmodum magis est. Seminis autem partem aliquam dici neruum esse, aut os, longe plus est, quam ut noster sensus assequi possit, ad hæc si foemina & mas differunt inter se uteri ratione, ut Empedocles ait, funditur in puris mas, foemina frigore mixto, mutari uidemus tam uiros quam mulieres, ut quemadmodum ex infœcundis fœcundi, sic ex habilibus foeminae procreandæ, ad maris procreationem propensi euadant, quasi non sit causa in secedendo ex toto, nec ne, sed in moderatione, immoderatione uel eius quod ex muliere uiroque secedat, aut ob aliquam eiusmodi causam, si hoc inquam ita esse ponamus, constat non propterea esse foeminam, quia ex quodam secesserit, itaque nec partem quidam quam propriam habet mas aut foemina, secessu consistere, siquidem semen idem & mas effici potest & foemina, tanquam non alterutra pars in semine sit. Quid igitur referat, de hac parte ita dicatur, an de cæteris: nam si semen ab utero non prouenit, eadem cæteris quoque partibus ratio seruanda est. Item nonnulla animalia oriuntur ex nullis, uel eiusdem, uel diuersi generis animalibus: ut muscæ, & genera papilionum, ex quibus gignantur quædam animalia, sed non similis naturæ, sed genus quoddam uermiculi, patet igitur non semine quod ex cunctis partibus secesserit, generari quæcunque diuersi generis sunt, nam similia essent, siquidem similitudo indicio esset, quod ex cunctis secesserit, quædam etiam animalia uno coitu plura generant, plantas uero omnino motu eodem, omnem annum fructum afferre certum est, quod fieri non posset, si ex cunctis partibus semen secerneretur, singulas enim est singulis uel coitibus, uel secessibus, fieri secretiones necesse est, nec uero fieri potest, ut in utero diuidatur, iam enim tanquam à planta nouella, aut animali nuper ædito,

non

non semine separaretur. Item quæ auulsione feruntur, semen afferunt, ergo & prius quàm auulsa fererentur, ex eadem sui magnitudine fructificasse, non ex tota planta destriçtum semen tulisse certum est. Omnium uero maximum argumentum in genere insectorum animaduertimus satis, quod etsi non omnium, tamen plurimorum fœmina per coitum particulam quandam suam inserit in marem. & quidem coitum ita agunt: quod antea dictum est. Subiecta enim in supera indere uisuntur, quâquam non omnia, sed plurima ex ijs quæ explorata habemus, itaq; in ijs etiam maribus, qui semē emittunt, non causa generationis est, quod ex tota secesserit, sed alio quodam modo, de quo postea uidebimus, nam si causa esset secessus, ut putat, non ex cunctis secedere partibus censendum esset: sed ab agēte, creatriceq; tantum uirtute, uelut à fabro, non à materia. sed hi simile aiunt, ut si uel à calceis proficisci dicant, filius enim qui patri similis est, simili ferè cultu corporis utitur. Causa autem ut uoluptas rei ueneræ uehementior sit, non quod ex toto secesserit, est, sed quia prurigo uehemens accidit, quam ob rem si quis frequenter ea re utitur, minus afficitur uoluptate. Item uoluptas Veneris in fine coitus potissimum est. At si ex toto secesseretur, non simul, sed singulis partibus, alijs prius, alijs post exultaret. Causa uero quam ob rem ex mancis manca proueniunt, eadem est, & cur filij similes parentibus prodeunt, sed non manca etiam ex mancis gignuntur, ut & dissimiles suis parentibus: quorum causam postea considerabimus, eadem enim questio est. Item si semen non à fœmina emittitur, eadem ratione profectò, nec ex toto secedere probari potest. & si non ex toto secedit, nihil rationi repugnat, si à fœmina quoque non secedere, sed alio quodam modo causam generationis præstari à fœmina statuamus, qua de re ut differamus, proximum est, cum semen non ex cunctis secerni partibus apertum iam sit. Initium uero tum eius ipsius propositi, tum etiam sequentis totius disputationis, ut primum de semine quidnam sit, accipiamus. ita enim & officia ipsa, & quæ officijs accidunt, facilius considerare poterimus. Tale autem sua natura semen esse requirit, ut ex eo primo orientur ea quæ secundum naturam constituuntur, non quod ex illo (uerbi gratia) homine aliquid sit, quod agat, sit enim aliquid ex hoc, quia semen eius est. Sed cum multifariam aliud ex alio fiat, alio enim modo, cum ex die noctem fieri dicimus, aut ex puero uirum, quoniam hoc post hoc, alio cum ex ære statuam, aut ex ligno lectum, & quæcunq; ex materia fieri dicimus, ut ex aliquo, quod insit, & formetur, totum sit, alio cum ex musico immusicum, aut ex sano ægrum, & omnino contrarium ex contrario, præterea, ut Epicharmus facit suam exaggerationē, ex calumnijs maledicta, ex maledictis pugna, quæ omnia eò referuntur, unde principium motus, quale id quoq; quod modo diximus, est, pars enim quædam totius discordiæ calumnia est: sed aliorum extra, quod mouerit, est, ut ars extra suum opus est, & lucerna extra domus incendium. Cum itaque tot modis aliud ex alio fiat, semen in altero de duobus his esse, apertum est, aut enim ex eo ut materia, aut ut ex primo quod mouerit est quod gignitur, non enim ut hoc post hoc, quomodo ex Panatheneis nauigatio: neque ut ex contrario contrarium, gignitur enim contrarium ex contrario, quod corrumpitur: & aliud quippiam subiici oportet, ex quo primo in manēte sit. Igitur in utronam de duobus illis constituendum sit semen, considerandum est, utrum ut materia & patiens: an ut forma & agens: an etiam ut utrunq; unâ enim cum ijs fortasse declarabitur, & quonam pacto ex contrarijs generatio sit omnibus ijs, quæ ex femine oriuntur, nam ea quoque generatio quæ ex contrarijs sit, naturalis est, alia enim ex contrarijs oriuntur, mare dico & fœmina, alia ex uno tantum, ut plantæ omnes, & animalium nonnulla, in quibus non distinctus, seorsumq; constitutus est sexus maris & fœminæ. Genitura igitur id uocatur, quod à generante prouea

niens causa est, quæ prima obtineat principium generationis: uidelicet in ijs, quæ coire natura uoluit. Semen autem est, quod ex ambobus coeuntibus illis originem trahit. quale semen plantarum omnium est, & animalium nonnullorum, in quibus sexus distinctus non est. uelut id quod ex mare ac foemina primum miscetur, quasi conceptus promiscuus quidam, aut animal. hæc enim iam habent quod ex ambobus requiritur. Semen & fructus inter se differunt, prioris posteriorisq; ratione. fructus enim quod ex alio est: semen ex quo aliud. nam aliàs ambo idem sunt. Natura autem prima eius, quod semen uocatur, quænam sit, exponenda latius est. Quodcunque in corpore accipimus, aut partem esse secundum naturam, uel dissimilarem uel similem necesse est: aut præter naturam, ut uel papulam, uel excrementum, uel colliquamentum, uel alimentum. excrementum appello reliquias alimenti. colliquamentum, quod ex incremêto secernitur resolutione præter naturam. sed nullam id esse partem uel similem uel dissimilarem apertum est. nihil enim ex eo, quauis simili constituitur, ut ex neruo, aut carne. Quoniam etiam cum cæteræ omnes partes separatae sint, ipsum separatū non est. nec uero præter naturam est, neq; naturæ oblaesa uitium, cum in omnibus insit, & natura ex eo ipso oriatur. alimentum planè res aduēticia est. Itaq; aut colliquamentū, aut excrementū esse necesse est. ueteres quidē autores opinari uidentur id esse colliquamentū. quod enim ex toto secedere propter motus calorē dicūt, uim habet colliquamēti. colliquamēta autē præter naturā sunt. nec quicquam secundū naturā oriri potest ex ijs quæ præter naturam sunt. excrementū igitur esse necesse est. At omne excrementum, aut alimēti inutilis est, aut utilis. Inutile dico, à quo nihil præterea naturæ suppeditetur: sed quo plus absumitur, eo magis natura uitiat. utile contra. sed enim nō tale excrementum id esse cōstat, eo quod ijs qui uel ætate, uel morbo pessime se habent, genus hoc excrementi plurimū inest, semē minime. aut enim nullū omnino, aut non prolificum, propter inutilis ac morbidi excrementi permissionē. ergo utilis excrementi pars aliqua semen est. utilissimū autē quod ultimū est, & ex quo iam unūquodq; gignitur membrum. est enim tum prius, tum posterius. primi igitur alimēti excrementū pituita est, & si quid aliud eiusmodi est. pituita enim alimēti utilis excrementū est. cuius rei indicium, quod permistū cum cibo puro alere potest, & labore absumitur. ultimum autem paruum admodū ex plurimo relinquitur alimēto. sed intelligendū perexiguo augeri quotidie animalia & plantas. nam nisi ita esset, additione pluris eadē uel minima modum excederent magnitudinis. igitur contra quàm ueteres putarunt, dicendum est. Cum enim illi quod ex toto secedat, semen esse fateantur, nos quod ad totum suapte natura faciat, semen esse fatebimur. Cumq; illi colliquamentū dicāt, nos excrementum potius esse statuimus. quod enim ultimum accedat, & excrementum ultimi sit, id simile esse probabilius est. perinde ut pictoribus saepenumero aliud andriceli, id est purpurissi remanet, simile eius quod cōsumpserint. Tabescēs autem quodq; & colliquescens corrumpitur & degenerat. argumentum non colliquamentum, sed excrementū potius esse illud est, quod animalia magni incremēti minus foecunda, parua foecundissima sunt. plus enim colliquamēti esse in magnis necesse est, sed minus excrementi. quippe cum in corpus magnum copia absumitur alimenti. itaque parum sit excrementi. Item locus secundum naturam nullus colliquamento datus est, sed fluit quocunque facilius ferri potest. At naturalibus excrementis omnibus locus præscriptus est. uerbi gratia, alimenti sicci excrementis aluus, humidus uesica, utilis uentriculus, seminalis uterus, genitale, mamma. in ea enim loca se colligunt atque confluunt. Testimonium etiam faciunt ea quæ eueniunt, ut semen, quod diximus, id sit. quæ ideo accidunt, quia talis excrementi natura est. dissolutio enim & imbecillitas manifesta consequitur, ubi uel

minimum

minimū id secesserit, ut quasi corpus eo sine priuetur, qui demum ab alimento affe-  
 ratur. pauci uero quidam & breui tempore per ætatem leuatur, cum id secedit: uis  
 delictet ubi copia superarit. quomodo alimentū primum, si, ubi modum excesserit  
 emititur, melius corpori cedit. leuat etiam cum secum alia trahit excrementa, non  
 enim solum semen est quod exit, sed etiā alia permistæ facultates cum eo secedunt,  
 quæ insalubres sunt. quam ob rem nonnullis improle aliquādo est, quod emititur,  
 quia parum seminis habet. sed enim plurimis & magna ex parte ita accidit, ut ue-  
 nere exoluatur, debilitenturq̄, ob eam quam diximus causam. Ad hæc, semen nec  
 in prima ætate, neq̄ in senectute, neq̄ in morbis est. carent hoc ægri propter imbe-  
 10 cillitatē, senes, quia non satis eorum natura potest concoquere. pueri propter incre-  
 mentū, absimitur enim totum alimentū in corporis desiderium, priusquā aliquid  
 excrementi remaneat. quinquennio nanq̄ ferè corpus in homine quidem dimidiū  
 capere uidetur omnis magnitudinis, quæ reliquo toto tempore comparetur. mul-  
 tis autem & animalibus & plantis euenit differentia in ijs ipsis, tum generi cum ge-  
 nere, tum etiam in eodem genere consortibus speciei inter se, ut homini cum homi-  
 ne, & uiti cum uite. alia enim multū seminis ædunt, alia parum, alia nihil omnino.  
 idq̄ non præ imbecillitate, sed contrā nonnullis euenit. absimitur enim in corpus,  
 ut hominū nonnullis, qui ubi per habitū corporis bonum carnulenti, aut pingui-  
 res euaserint, minus semen emittunt, minusq̄ rem ueneream expetunt. similis &  
 20 uitibus affectio incidit, quæ nimia alimenti copia luxuriant, & hircire tantisper di-  
 cuntur. nam & hirci pinguescentes minus seminis habent, quam ob rem eos solent  
 antè extenuare. & uites hircire ab ea ipsa hircorū affectioe dixerūt. uiri etiam mu-  
 lieresq̄ pingues minus fœcundæ esse, quàm non pingues uidentur. quoniā in ue-  
 getioribus excrementū concoctum transit in pingue. nam & pinguedo excremen-  
 tum est bonitate substantiæ salubre. sunt quæ nullum afferant semen, ut salix, ut  
 populus. Itaq̄ alia quoq̄ eius affectionis causæ reddi possunt. nam & per imbecil-  
 litatem non concoquunt, & per uirium bonitatem absument, ut dictum est. Simili  
 modo fœcundissima quoq̄, & fertilissima sunt, alia propter uires, alia propter im-  
 becillitatē. multum enim atq̄ inutile excrementū permiscetur, ut uel morbi non-  
 30 nullis contrahantur, cum non bene purgatio cessit, & alij euadunt, alij obeunt mor-  
 tem. tabescunt enim eo modo quo per urinæ profluuiū. nam id quoq̄ uitium iam  
 aliquibus accidisse certum est. Item meatus idem excrementi & seminis est. quibusq̄  
 excrementū amborū tam sicci, quàm humidi alimenti, ijs quo humidi eodem semi-  
 nis quoq̄ secretio agitur. humidi enim excrementū est. nanq̄ omnium alimentum  
 humidum potius est. At uero quibus hoc deest, ijs ea parte, qua cibi sicci sedimentū  
 tendit, semen quoq̄ secernitur. addo etiam quod colliquatio & tabes semper mor-  
 bosa est. excrementi emissio semper utilis est. seminis secessio in ancipiti uersatur,  
 quoniā aliquid alimēti inutilis assumit. At si colliquatio esset, semper noceret. quod  
 nō facit. Semen igitur excrementū esse alimenti utilis atq̄ ultimi, siue omnia semen  
 40 emittunt, siue non: in ijs tamen quæ emittunt, ita esse apertum iam est.

*Menstrua esse excrementa, omniaq̄ sanguinea ea ipsa emittere.*

Caput XIX



Ost hæc cuiusnam alimenti sit excrementū, & de mensuris differen-  
 dum est. fiunt enim in nonnullis uiuiparis menstrua. nam his declara-  
 tis apertū erit, & utrum fœmina semen emittat, ut mas, fiatq̄ unum  
 ex ambobus seminibus mistum, an nullum semen à fœmina tecerna-  
 tur. & si nullū, utrum aliud quippiam non conferat fœmina ad gene-  
 rationem, sed locum tantūmodo præbeat, an aliquid conferat. idq̄ quonam pacto,  
 & quomodo. Sed enim sanguinem esse ultimum alimentū in sanguinario genere

animalium: proportionale autem in exanguis, dictum antea est. Verum cum semen  
 quoque excrementum sit alimenti, eiusque ultimi, aut sanguis, proportionalis est, aut  
 ex ijs aliquid, sed cum ex sanguine concocto digestoque modo quodam pars quæ  
 gignatur, semen autem concoctum diuersum à sanguine secernatur (nam incon-  
 coctum aut per uim emissum, uidelicet cum ultra modum quis re uenerea utitur,  
 cruentum iam aliquibus prodijt) constat semen esse excrementum alimenti sanguinei,  
 quod ultimum in membra digeritur. & quidem uim magnam ob eam rem obtinet.  
 Sanguinis enim synceri salubrisque secessio resolvere potest. utque filij similes parenti  
 bus sint, ratio exigit. simile est enim quod ad partes accesserit, ei quod remanet, itaque  
 semen manus aut faciei, aut totius animalis est manus indefinita, aut facies, aut ani-  
 mal totum indefinitum. & quale quodcumque illorum est actu tale, semen potentia est,  
 aut corpulentia sua, aut facultate siue uirtute, quam in seipso contineat. Id enim non  
 dum ex ijs quæ exposuimus, patet, utrum seminis corpus causa sit generationis, an  
 habitum aliquem & principium motus genitale obtineat. neque enim manus, neque aliud  
 quoduis membrum, sine anima, aut alia facultate est manus, aut quodlibet membrum,  
 sed æquiuoce tantum. Constat etiam colliquationem quoque seminariam ubi accidit, excre-  
 mentum esse. quod uitium euenit, cum resoluitur in quod accesserit: quomodo cum  
 protinus decidit quod rectorij operis modo illitum fuerit. Idem enim ultimum excre-  
 mentum cum primo excremento est. atque de his ad hunc modum differuisse satis sit.  
 Sed cum in firmioris plus excrementi, minusque concoctum fieri, idque copiam cruenti  
 humoris esse necesse sit, infirmius autem secundum naturam est, quod minus caloris  
 adipiscitur, taleque foemina sit, ut antea dictum est, hinc secretionem quoque illam san-  
 guineam foeminae excrementum esse necesse est. Talis autem eiectionis est eorum quæ  
 menstrua appellantur. menstrua igitur excrementum esse, & proportionem, ut mari-  
 bus genitura, sic foeminis menstrua prouenire, apertum est. Recte autem ita dici indi-  
 cant ea quæ in ijs ipsis eueniunt. eadem enim ætate maribus genitura fieri incipit, &  
 secernit: foeminis autem menstrua erumpunt. uox etiam mutatur, & mammae intu-  
 mescent. nec non desinente ætate aboletur maribus generandi facultas: foeminis  
 menstruorum confluunt. Ad hæc, indicium illa faciunt, ut excrementum sit hæc secre-  
 tio foeminarum, quod non mariscæ, non profluuium est naribus sanguinis, non uarices,  
 non tale quid mulieribus magna ex parte accidere solet, quædiu menstrua profluunt.  
 & si quid tale accidit, deteriores fiunt purgationes, quasi hæc materia menstrua con-  
 sumpta in ea fuerit, minus etiam uenosæ sunt foeminae, quam mares: & lautiores le-  
 uioresque sunt, quoniam excrementum quod eò tendat, confluere in menstrua solet.  
 hanc eadem causam esse putandum, & ut corpora minora sint foeminarum, quam ma-  
 rium in uiuiparo genere. in hoc enim uno menstrua profluunt, & omnium apertis-  
 sime in muliere. plurimum namque menstrui excrementi mulier emittit, ex quo fit, ut  
 euidentissime palleat. & obscuriores habeat uenas, & corpore planè ad marem de-  
 ficiat. Sed cum menstrua sint quod foeminis fiat perinde ut maribus genitura, nec  
 fieri possit ut duæ simul secretiones seminales agantur, ideo semen à foemina non con-  
 ferri ad generationem apertum est. nam si semen esset, menstrua non essent. nunc ideo il-  
 lud deest, quia hæc sunt. Sed menstrua esse excrementum, ut semine, explicatum iam est.  
 Testimonio autem eodem accipi possunt aliqua ex ijs, quæ animalibus accidunt. pin-  
 guia enim minus seminis habent, quam macilentia, ut antea dictum est. cuius rei causa  
 est, quod & pinguedo excrementum, ut semen, & sanguis concoctus est, quamque non  
 eodem modo, quo semen. itaque ratione optima fit, ut cum materia superuacua con-  
 sumpta in pinguedinem sit, deficiat genitura. generis etiam exanguis mollia, & crustata  
 optima sunt, cum utero gerunt. quod enim sanguine caret, nec pinguedo in ijs con-  
 sistit, hinc proportionale pinguedinis secernit in seminale excrementum. Indicio autem  
 est non

est non tale semen à foemina emitti, quale à mare, nec amborum mistura generari, ut aliqui uolunt, quod sapenumero foeminae concipiât sine ea, quæ per coitum fit, uoluptate. rursusq; cum ea ipsa uoluptate, pariq; concursu profusionis utriusq; nihilo magis concipitur, nisi menstruorū humor sit modice temperatus. quam ob rem nec nullis omnino uicibus menstruorū foemina generat, neq; cum effluūt magna ex parte: sed à purgatione. uis enim quæ in maris genitura continetur, aut caret alimento et materia, ex qua instituat animal: aut nimia copia semen cum humore eluitur. sed ubi effluerint satis, quod remanet, cōsistit. Quæ autem nullis menstruorū uicibus concipiunt, aut interea dum agitantur, & effluunt, non pōst, earum alteris  
 10 causa est, quod tantū humoris continent, quantū prolificis remanet à purgatione, quanq; non ita superat, ut effluere possit: alteris, quod à purgatione os uteri cōpriatur. Cum igitur multum quidem effluxit, sed adhuc effluit, tamen non tantū ut semen elabatur, tunc concipiunt. nec uero absurdum quicq; si à conceptu item effluunt menstrua, nam uel pōst aliquādiu prodeunt, quanq; parçè: nec semper, sed id morbidū est. quā ob rem paucis, & raro accidit. Quæ autē magna ex parte fiunt, ea maxime secundū naturā sunt. à foemina igitur conferri ad generationē materiā, quæ in menstruorū constitutione sit: menstrua autē ipsa esse excrementū, apertum iam est.

*Contra eos qui credunt foeminas, ut mares semen genitale emittere, argumento quod pari ferè uoluptate afficiantur. Caput XX*

20 **Q**uod autem semen conferri à foemina per coitum nōnulli existimant, propterea quod interdum simili uoluptate afficiatur, ut mas, simulq; aliquid humoris secernat, id nō humor seminalis est, sed loci proprius, uteri enim excretio est, quæ alijs euenit, alijs non. euenit (quod plurimum dixerim) ijs quæ nitidæ foeminaresq; sunt, non euenit ijs, quæ fusca atq; uiragines. copia uero quibus euenit non pro seminis emissionē interdū est, sed multo excedit. tum etiam ciborum diuersa ratio plurimum facit, ut plus minus ue eius humoris excernat, ut quædam acris saporis augment planè excernendi modum. uoluptas autem quæ per coitum sentitur, non solum semine exeunte accidit, sed etiam spiritu, ex quo consistente semen emittitur. quod patet tum in adol  
 30 lescentulis, qui nondum emittere queunt, propeq; ætate sunt: tum in uiris geniturae expertibus. uoluptas enim ijs omnibus scalpando excitatur. & quorū deprauata est generatio, alius interdum soluitur, propterea quod excrementū eò secedit, quod cōcoqui atq; effici semen non possit. forma etiam similis mulieris & adolescentuli est. & mulier quasi mas in seminis est. impotentia enim quadam foemina est, eo quod semen ex ultimo alimento concoquere nequeat. quod alimentū aut sanguis est, aut sanguinis proportionale in ijs quæ sanguine carent propter naturæ frigiditatem. ut igitur in alio profluuium accidit cruditate, sic in uenis, tum cætera proflu  
 40 uia sanguinis, tum menstrua ueniunt. nam ea quoq; sanguinis profluuiū sunt. sed illa morbo citatur, hoc naturale est. itaq; generationem ex eo ratione optima fieri, apertum est. Sunt enim menstrua semen non purū, sed indigens cōfectionis, quomodo in fructuum generatione adhuc imperfecta, inest quidem alimentū, sed cōfectionē ad puritatē desiderat. quamobrē ut menstrua geniturae admista generant, sic alimentū in fructibus gignendis mistum alimento syncero alit. Indicio etiam est semen non emitti à foemina, quod cum per coitum seminis uoluptas cōtrectione loci eiusdē atq; maribus ueniat, tamen humor ille non hāc emittit. Item non omnibus foeminis id excernitur, sed sanguineis tantum. ijsq; non omnibus, sed quibus uterus non ad septum transversum est, nec partus ex ouo. Ad hæc, ijs quæ non sanguinem, sed proportionale sanguinis habent, non emittitur ille humor, ut enim

in alijs sanguis, sic in his alia inest miscella. causa autem ne aut his, aut supradictis sanguineis fiat purgatio, siccitas corporis est, quæ parum excrementi relinquit, quantumque satis duntaxat ad generationem sit, non ut etiam aliquid foras mittatur. At uero quæ uiuipara sunt sine ouipartitione, ut homo, & quadrupedum, quæ suffragines intus flectunt (hæc enim omnia animal procreant sine ouo) ijs omnibus ea purgatio fit, nisi quid lesum per generationem sit, ut mula. tamen nullis tam purgationes redundant, quam homini. sed quemadmodum cuique animali hæc eueniant, in libris de historijs animalium scriptum est. plurima ex omnibus animalibus purgatio mulieribus fit. maribus etiam plurimum emittitur seminis, magnitudinis ratione. cuius rei causa est constitutio corporis, quæ humida & calida est. plurimum enim excrementi fieri in eiusmodi corpore necesse est. carent etiam partibus ijs, in quas uertitur excrementum in cæteris animalibus. non enim pilorum copiam gerunt per corpus, non ossium, aut cornuum, aut dentium excretiones. indicium semen esse in menstruis, quod simul, ut antea dixi, maribus semen fieri incipit, & foeminis menstrua innotescunt eadem ætate, tanquam simul ea loca distendantur, quæ utrumque recipiant excrementum. Cumque tempus distendendi instat, loca intumescunt à spiritu, quod marium testes apertius ostendunt, quamque & mammae. sed foeminarum mammae potius indicant. cum enim bino digito extolluntur, tunc plurimis incipiunt menstrua. igitur in quibus uita præditis sexus maris ac foeminae distinctus non est, in ijs semen ueluti conceptus iam est. conceptum appello primam ex mare ac foemina mixturam. quam ob rem ex uno semine unum gignitur corpus. uerbi gratia, ex uno tritici grano unus fundus, ut ex uno ouo unum animal. geminum enim ouum, duo est oua. At in quibus generibus mas & foemina distinguitur, in ijs plura animalia ex eodem semine gigni possunt, quasi natura differat. semen in plantarum & animalium genere indicium est, quod uno initu plura gignuntur in ijs quæ plura quam unum possunt generare. quo argumento constat etiam non omni ex parte corporis genituram provenire. neque enim distincta statim inde ex eadem parte secernerentur, neque postquam simul ad uterum deuenissent, ibi distinguerentur. sed euenit porro quod ex recta ratione est, ut cum mas formam & principium motus præbeat, foemina corpus atque materiam (quemadmodum in lactis concretione corpus lac ipsum est, succus aut coagulum principium spissandi cogendique obtinet) sic quod à mare in foemina distinguitur intelligi debeat. cur in plura paucioraue partiatur, aut singulare instituat, alia ratio est, sed quia non differat forma quod diuiditur, si modo se habeat modice ad materiam, ut neque minus sit, ut concoquere densareque nequeat, neque amplius ut exiccare possit, sit ob eam rem ut plura generentur. Cæterum ex eo quod primum constitit, ex uno iam unum tantum procreatur. sed genituram à foemina non conferri ad generandum, tamen aliquid conferri, idque esse menstruorum constitutionem, aut proportionale in genere exanguium, tum ex supradictis, tum etiam ratione uniuersalique indagatione constat. esse enim quod generet, & ex quo generet, necesse est. idque quauis unum, forma quidem differre, & rationis diuersitate oportet. At uero in ijs, quæ distinctas eas potentias obtinent, corpus etiam & naturam diuersam esse agentis & patientis. Quod si mas est ut mouens & agens, foemina qua foemina, ut patiens, sequitur ut ad maris genituram foemina non genituram, sed materiam conferat, quod & fieri ita uidetur. natura enim menstruorum pro prima materia est. Atque de his ita docuisse satis sit. Apertum unum cum ijs est, de quo differendum deinceps sit, quemadmodum scilicet ad generationem mas conferat, & quonam pacto semen maris causa eius quod gignitur sit, utrum ut insitum, & protinus inde pars corporis gignendi mistum cum materia foeminae, an semen nihil commune cum corpore habeat, sed motus, uisque in eo contenta sit quæ comunicet. hæc est enim quæ agat, quod autem consistat & formam recipiat,



recipiat, reliquum excrementi foeminae est, atque ut ratione, sic effectis quoque proba-  
 ri uideatur, nam cum in uniuersum animo cōplectimur, non ita effici unum ex pa-  
 tiente agenteque uideatur, ut quod agit, in eo quod efficit insit: nec omnino ex eo quod  
 mouet, & quod mouetur quicquam constitui. At foemina quidem qua foemina, pa-  
 tiens est: mas, qua mas, agens, & unde mouendi principium est. itaque si extrema ut-  
 riusque sumantur, qua alterum agens & mouens, alterum patiens & quod mouea-  
 tur sit, non ex ijs unum quod gignitur est, sed ita ut ex fabro et ligno lectus, aut ex cera  
 & forma globus est. Patet igitur nihil secerni à maris semine esse necesse. neque si-  
 quid accedit, idcirco ex eo, ut insito esse, quod gignitur, sed ut ex eo quod mouerit, &  
 10 forma, utque à medicina qui sanatus est, facta etiam rationi cōsentiunt, hinc enim ma-  
 res nonnulli per coitum nec membrum quidem ullum in foeminam indere uisuntur,  
 sed contra foemina in marem, ut in quibusdam insectis fit, quod enim in ijs, quae in-  
 dunt, efficitur semine in foemina, idem in mare ipso uapor uirtusque efficit, foemina  
 admouente suam particulam quae seminis capax est, unde sit ut genus id animalium  
 diu coeat, absolutumque breui generet, coniuncta igitur manent quousque consti-  
 tuant perinde ut genitura constituit, sed abiuncta cito adunt conceptum, quoniam  
 & imperfectum quod pariunt est, quippe quae uermiculum omnia id genus pro-  
 generent, maximo sane indicio est, quod auibus & piscibus ouiparis euenit, semen,  
 nec omni ex parte corporis uenire, neque tale quid emitti à mare, quod insit in eo,  
 20 quod genitum est: sed uirtute tantum contenta in genitura uiuificari, ut modo dixi-  
 mus de insectis, quorum foemina transigit in marem. Nam siue accidit ut auis hipe-  
 nemia, id est subuentanea, oua ferat, si postea coit nondum mutato ouo ex luteo in  
 album, foecunda ex subuentitijs redduntur, siue concepta ex coitu, si adhuc luteis,  
 cum alio mare coiuit, simile eius, quo cum postea coiuit, prouenit omne genus pul-  
 lorum. quapropter nonnulli ex ijs, qui ut gallinae generosae procreentur, operam  
 dant, ita mutatis admissarijs faciunt, tanquam non misceatur, constitutioneque subeat  
 semen, neque omni ex parte uenerit, ex ambobus enim uenisset, itaque bis partes eas-  
 dem haberet, sed sua facultate semen maris materiam contentam in foemina, & cibum  
 qualitate quadam afficiat, id enim efficere potest, ubi secundum praeuenerit tepefa-  
 30 ciendo, & cōcoquendo, cibus enim ab ouo absumitur, quandiu crescit. Hoc idem  
 in generatione quoque ouiparorum piscium euenit, ubi enim foemina oua adiderit,  
 mas semen aspergit, & quaecumque attigit, foecunda efficiuntur, quae non attigit, re-  
 manent infocunda, quasi non ad quantitatem mas conferat, sed ad qualitatem, patet  
 igitur ex ijs, nec omni ex parte semen secedere, neque foeminam ita ut marem cōferre  
 ad generationem, sed marem principium motus, foeminam materiam praestare, hac enim  
 causa, nec per se ipsa foemina generat, principium enim & id quod moueat discernatque,  
 desiderat. Sed nonnullis, ut auibus aliquatenus natura gignere potest. Aues enim  
 constituunt quidem oua, sed imperfecta, quae subuentanea uocantur, & ortus eius  
 quod generatur, in foemina agitur, nec in marem semen emittit aut mas, aut foemi-  
 40 na, sed ambo in foeminam conferunt, quod suum utriusque sit, quoniam in foemina ma-  
 teria est, ex qua constat quod creatur, ac protinus partim haberi paratam materiam  
 necesse est, ex qua primus conceptus consistat: partim subinde accedere, qua nutria-  
 tur & crescat, itaque partem in foemina contineri necesse est, nam & faber adest ligno &  
 figulus limo, denique omnis actio & motio ultima iuxta materiam est, ut aedificatio in  
 ijs quae aedificantur, hinc etiam quemadmodum mas conferat ad generationem accepe-  
 ris, nec enim mas omnis semen emittit, & quibus emittitur maribus nulla pars fo-  
 tus hoc est, sicut nec à fabro quicquam secedit ad lignorum materiam, neque pars ulla ar-  
 tis fabrilis in eo quod efficitur, est: sed forma & species ab illo per motum in materia  
 existit, atque anima in qua forma & scientia est, mouet manus, aut aliud membrum  
 X

motu certæ qualitatis uel diuerso, à quibus efficitur diuersum, uel eodem à quibus idem, manus autē instrumenta quæ materiam mouent. Ita natura etiam maris semen emittentis utitur eo semine quali instrumento, & actu habente motum: ut in operibus artium instrumenta mouentur, in illis enim quodammodo motio artis est. Quæ igitur semen emittunt, hoc modo ad generationē conferunt. Quæ autem non emittunt, sed fœmina particulam sui quandam inserit in mare, hæc simile facere uidentur, quasi quis materiam ad opificem afferat, nam ob imbecillitatē eorum marium nihil per aliud natura efficere potest: sed uix assidente ipsa motus ualent, & similis fingenti, non fabricanti est. quippe quæ non per aliud attingens, sed ipsa suis membris rem condant instituendam. Sexus igitur maris ac fœminæ distinctus in genere omnium animalium gressilium est. & quantum diuersa sunt animalia mas & fœmina, tamen specie idem sunt, uerbi gratia, homo utrunque. At in plantis facultates istæ miscentur, nec mas à fœmina separatur, quam ob rem ex se ipsa progenerant, nec genituram emittunt, sed conceptum, quod semen uocatur, afferunt. idem Empedocles bene retulit suo carmine: Deinde etiam ouiparo genus arboreum tulit ortu. Ouum enim conceptus est, & animal ex parte eius creatur. reliquum alimentum est. animalis seminis etiam aliqua ex parte consistit quod oritur, reliquum alimentum germini radicis primæ est. hoc idem quodammodo in ijs quoque euenit animalibus, quæ sexu distinguuntur. cum enim uniuntur & generant, inseparata redduntur ut plantæ. idem natura eorum nititur, ut unum fiat, quod cum coeunt, & coniunguntur, conspiciuntur unum effici animal ex ambobus. atque ea quæ semen non emittunt, diu complexa funguntur Venere, dum conceptum constituunt: ut insecta, quæ solent coire, alia tandiu exigunt, donec partem aduentitiam quandam mittant, quæ conceptum constituat spacio temporis longiore, quam in sanguineo genere agatur. hæc enim parte quadam diei coheret. genitura intra plures dies constituit. mox ubi eam emiserunt partem, absoluuntur. profecto animalia tanquam plantæ diuisa esse uidentur, perinde quasi illas quoque postquam semen attulere dissoluas, & separes in sexum insitum maris ac fœminæ. Atque hæc omnia recte ita à natura condita sunt. plantarum enim substantiæ non aliud munus, nulla actio nisi generatio seminis est. quod cum maris ac fœminæ coitu efficiatur, miscuit ea natura, indiscretumque sexum maris & fœminæ plantarum generi tribuit. Sed de his alibi disputatum à nobis est. At animalis munus non solum generare, quod commune omnium uiuentium est, sed etiam cognitionis alicuius particeps unumquodque est, aliud maioris, aliud minoris, aliud minimæ. sensum etenim habent. sensus autem cognitio quædam est. cuius siue nobilis, siue ignobilis nota plurimum referet ad hominis ne prudentiam, an ad genus inanimatum consideretur, nam ad prudentiam nihil esse uidebitur, tactum gustumque tantum adipisci. At ad sensus uacuitatem summum id esse putabitur. Charum enim censueris compositionem eius esse cognitionis, nec emortuum expertemque essentia omnis iacere. sensu autem animalia differunt ab ijs quæ tantum uiuunt. sed cum uiuat etiam quod animal est, necesse sit, cum fungi uiuentis munere opus est, tunc coeunt & miscentur, & quasi plantæ efficiuntur ut dictum est. Caterum genus animalium testa interfectum, quoniam inter animalia & plantas ambiguum est, ut in ambobus constitutum generibus, munere neutrius fungitur, nam ut planta sexu maris & fœminæ caret, nec in altero generat. ut autem animal, nullum ex se fructum affert modo plantæ: sed consistunt & generantur ex terrena & humida quadam concretione, sed de eorum generatione postea differemus.

PRIMI DE GENERATIONE ANIMALIVM

LIBRI FINIS.

Empedoclis  
uersus: οὐτὼ  
δὲ ὡσπερ κῆμι  
κρὰ δένδρα  
πρῶτον ἐλαί  
ας. Antiquus  
interpret sic:  
Sic autem ouis  
ficant arbores  
parue primū  
oliuas.



ARISTOT.  
GENERAT.  
ANIMALIVM  
LIBRI FINIS.